

1582

coinqinatos jus esse : reliqua capitalia delicta ad Quadrangintaviros capitales spectare : in civilibus , urbanisque negotiis provocationes ad vetus , in peregrinis ad recens Quadrangintavirale concilium pertinere : ceterum bella , paces , foedera , publicam pecuniam , arma in Senatus potestate esse . Tum ad egregiam illius formam transgressus , mirabili , ac prope divina prudentia ita constitutum esse affirmabat , ut ex omnium ordinum temperamento coalesceret : Non consultis senilem gravitatem , plerumque tardo incedentem gradu , officere ; non juvenilem impetum nimium effervescentem incitare ; at firmo constantis ætatis robore utrisque connexis ea decreta prodire , quæ neque lentore frigescerent , neque nimio ardore flagrarent , quæque ab una veluti mente profecta , exacti judicii trutina expensa , prudentiam fortitudinemque redolerent . His aspersus sententiis totus Federici Baduarii sermo fuit : palam vero quid sentiret (arte fortasse factum) minime enunciavit . Itaque ut gravitatis maturiorisque eloquentiae laudem tulit , ita in eo plerique apertiores sententiam expetivere . Sed vehementes Hieronymi Prioli , ac Joannis Superantii orationes magnum pondus ad comitia flectenda habuere , quippe qui , omni fere ætate in gerenda Republica absumpta , Patrum animos in Senatu versari assueti , plurimum dicendo poterant . Superantium postremo loco in hanc sententiam locutum fuisse constat .

Dum mecum ipse reputo , tot jam elapsos esse dies , quibus de gravissimo hoc negotio agitur , neque post tot insignium Senatorum sententias expediri consilia , ad exitumque rem perduci posse , dum universam civitatem hætabundam magna atque incredibili expectatione teneri animadverto , summa me molestia ac moerore , præstantissimi cives , affici fateor ; non quia ex hac dissentientium opinionum varietate aliquid Reipublicæ pertimescendum putem ; qua enim ex re cunctorum civium ad libertatem ac patriam conservandam conspirantium voluntas ista , atque ardor infringi vel minui potest ? sed tamen sermones , qui per ora vulgi seruntur , me non mediocriter perturbant , ne per omnem Italiam dissipati , atque fortasse ad majorum Principum aulas delati ,

Joannis
Superantii
oratio .